115.

IN
DIVI ALOYSII
ORTU
CARMEN

ELUCUBRATUM A REV.° SACERDOTE

REGIAE JURISDICTIONIS

D. MARIO PARENTE

NEAPOLI

TYPIS RAPHAELIS MANZI.

1828.

ANALISI DEL CARME

SONETTO

AL nascer del Gonzaga in Ciel s' uniro
Le Grazie, i Genii, e gli formaro un serto
Di Fiori colti in Paradiso, e in giro
Volar festanti a dichiararne il merto.

Con arte travagliata in sull' Empiro
Era alle Viole il bianco giglio inserto;
Come splende tra gemme il bel zaffiro,
Così questi tra fiori in bel concerto,

Del vezzoso bambino il crin n' ornaro;
Disdegnosetto, e placido Ei ridea
Mostrando a dito ognor il dono raro.

L' involse alfine nel suo velo Astrea: (1)
Di lieti plausi gli atrj rimbombaro:
Cogl' Idalj suoi Citerea piangea.

---

(1) La Dea, che presiede alla Costellazione Vergine nel Zodiaco.

DIVI ALOYSII
ORTU
CARMEN

NATALEM, Gonzaga, tuum lux candida vexit.
O mihi lux augusta! Leves age, Siste quadrigas
Cynthie suspenso cohibens fraena aurea curru;
Quin age luciferis medio semel aethere fixis
Subtrahe te tantisper equis, et mobile plectrum
Expediens totum jubeas gaudere serenum
Plaudentem numeris Gonzagae ad nomina Pindum.
Tu quoque, Dive, meae cui Musae dulce tributum
Praebent, pelle lyram; coeptis da numine cursum,
Et tua quo celebrem doceas cunabula cantu.
Ut primum aetheriam vitalibus editus auris
Aspexit Gonzaga diem, et spirabile lumen
Hausit hians coeli, complexae protinus illum
Excepere sinu Charites, pressumque sub ulnis
Deliciis fovere suis; Cita labitur astris
Aligerum proles velocibus ignea pennis,
Et puero blandita fremit, gaudetque vicissim
Jam sociis decus indelebile coetibus addi
Agminis agnati, et laeti nova gaudia miscent.

It ver Sidereum, coelique per arva virentis
Selectas decerpit opes, floresque venustos,
Quos aurora rubens nuper produxit ab alvo,
Ac redolentia talibus incunabula sternit.
Circum ludentes superi glomerantur amores,
Et pro pulvino pharetras supponere pictas
Dulce ministerium capiti officiosius instant.
Tempus erit forsan, cum vix cernentibus illum
Ore verecundo gradientem, et saepe gerentem
Lumina fixa volo, sat erit solummodo adesse,
Protinus ut frangant vesana cupidinis arma,
Concipiantque Dei puras in pectore flammas.
Addunt se socias promptis ad munera dextris
Divarum Selecta cohors; mitissima cultu
It Pietas, puerique instillat amica labellis
Nectareos haustus, guttisque effusa cucurrit
Lactea Sidereo quae liquitur unda fluento.
Sedula fasciolis niveos circumligat artus
Relligio, astrictumque sibi devincit amantem:
Mox animum sensim Coeli dulcedine replet,
Ac peritura docet mundi calcare superbi;
Sic ubi devinxit, lactenti istillat amores
Atherios, quibus et fasces pertaesus avitos,
Et generis decus, et perituras tempore gazas,
Blanditiasque domus, auri que nitentis, et ostri
Illecebras citus advolet ad vexilla Loyolae
Militiae, et superis tenero se destinet aevo.
Pone sedet cunis Pax Relligionis amica,
Quae numeris, pedibusque lacessere docta quietem,
Dulces languidulis somnos invitat ocellis;

Blande puer, dicens, nunc munera carpe soporis,
Insomnes vigili ducturus lumine noctes,
Cum te conspicient armatum sponte flagellis,
Nocte intempesta, ac repetitis ictibus astra
Densantem plagas, et sanguinis imbre natantem.
Apta molle latus cunis, tenerosque lacertos,
Et, dum fata sinant, refove tua membra quiete,
Mox ultro calcaribus effodienda cruentis,
His puer arridet dictis, gestuque decoro
Signat venturos fati praevertere gyros.
Has inter Divas placido lepidissima risu
(Inter ceu Rosa cognatos pulcherrima flores)
Emicat, et puero celeri petit obvia gressu
Integritas, olim innocuis Dea nata sub umbris,
Quae Sanctum Elysium, fortunatosque recessus
Nativi nemoris primo vix luminis ortu
Aspiciens, metuensque scelus secessit olympum:
Et nunc illa quidem nostris raro advena terris
Labitur e coelo renovans commercia pacis.
Haec tulit, albenti nitidum velamen amictu,
Cui cedunt candore nives, fulgoribus ignes,
Et circum undanti Gonzagam cyclade texit.
Licia tu textae dederas argentea telae
Cynthia detonsos redigens in fila capillos.
Atque hic Astrea ante alias operosa sorores
Expedit e summis stellis sua munera praepes,
Virgineae clypeum (pondus non debile) dextrae,
Cui nullum mortale queat contendere robur.
Est locus in Coelo, quo sistens Virginis astrum
Sede locat patria reducem Titana quotannis

Signiferum cursu obliquo dum circuit orbem.
Hic augusta domus celsis sublata columnis
Erigitur, qua nulla mage est invisa Cytherae,
Nulla Dionaeis mage formidanda maniplis.
Armorum sedes ubi coelitis arte magistrae
Arma pudicitiae conflantur, et igne rubenti
Excoquitur Cyprios Coeli munimen in hostes.
Non hic sulphureis fumant tecta atra caminis
Æratique nigra squallent fuligine postes,
Nec sonitu stridente gemunt incudibus aulae:
Aula nitet circum coelesti splendida cultu
Quam contexta polo exornat pretiosa supellex.
Hanc Astraea domum mediis sibi fixit in astris;
Hanc sibi delegit sedem, atque hic arte magistra;
Quae confringere nulla queat vis, arma laborat.
Solis ab occulto radiantem sustulit ignem
Diva sagax, rutila qui purior emicat aethra,
Ardet, et aevo nequaquam consumitur ullo,
Dumque metalla poli solers emollit ad ignem,
Ipse praeest operi gestans sua sceptra cupido,
Divus amor, pennisque suis eventilat ignes,
Et docet aetheriis, quibus illa coerceat omnem
Materiam massis simul, et qua temperet arte,
Neu frangi; flectique queat, neu forte fatiscat.
Adstant virginei celeres ad jussa magistri
Castus amor, Sanctusque pudor, coelique voluptas;
Dextraque ubi fundit rubicundae pondera massae,
Ictibus argutis resonant concentibus aurae
Ad numerum, et festis admurmurat aethra metallis.
Discit et hinc Superum pubes addicta movendis

Orbibus aetheriis flexus componere coeli,
Dum torquent celeres gemino de vertice cursus.
Ergo hic Astrea intentis dum singula lustrat
Luminibus, clypeum mediis ex omnibus unum,
Ardebat tota qui Sole nitentior aula,
Selegit: Clypeusque erat impenetrabilis unus
Cypriadum telis, nec formidabat amorem.
Hunc ubi Diva Sagax coelesti excuderat arte,
Doedalus ingenium dederat superabile nulli.
Ipsa favente Deo in massa nova semina rerum
Miscuerat simul, et lento Dea duxerat igne:
Postea concretum gelidis immerserat undis,
Atque insuetum portentum ex compagine fecit;
Junxit et e toto lectos adamantas olympo,
Et Clypeum mira formaverat arte decorum.
Splendet opus, se seque simul labor, arsque lacessunt.
Sculpserat hic Astraea suos Heroas in auro
Et debellata partas Cythereide palmas.
Margine stat celso dux agminis inclita virgo,
Quam sibi virginibus iampridem ex omnibus unam
Legerat omnipotens alto de sanguine Judae
Ut foret intacta, et Superum quae Numen in alvo
Conciperet, ferretque pios sine semine partus,
Gaudia matris habens cum virginitatis honore.
Integer, inde subit sceleris, purusque Johannes,
Sidera qui petiit, praesens dum vita manebat,
Et meruit fontem occultae Deitatis adire.
Atque vices meruit post mortem solvere nati,
Iusserat ut natus moriens sub stipite duro.
Christiadum stant tot spirantia signa metallo,

Illustres animae, peperit quas candida Coelo
Virginitas; et ferre suis dat lilia dextris.
Fecerat et placido sopitum lumine somno
Xaverium fulta manibus cervice reflexum
Procubuisse toro. Feedis huic subdola taedis
Insultat circum, et cordis corrumpere puras
Larva studet flammas, nocturnisque aestibus instat.
Illum obluctanti similem, similemque furenti
Virgineo cernis de pectore rumpere fontes
Purpureos, foedasque extinguere sanguine flammas
Nec procul aspicies Benedictum vepribus altis
Membra volutantem Sylvis ut frangeret aestum.
Dilacerata manent sparsim diffusa per agros,
Effuso dudumque rubescunt sanguine spinae.
Interea pudor ingenuus colludere gestit,
Deque papaveribus sertum sibi nectere tentat.
Parte alia innuptae tollunt sua signa puellae
Exosae foedusque tori, taedasque mariti,
Seu quae cana animis foverunt lilia, seu quae
Virgineum rivis florem tinxere cruentis.
Postremo pictis clypei radiantis in oris
Addiderat stratas terrae procnmbere passim
Pellaces visu formas. Jacet ore venustas
Squallenti, laniata genis, et scissa capillos.
Decolor, atque incompta Venus, risusque, jocusque
Amissos moesti vultu lacrymantur honores;
Et mala libertas Genii religata Catenis
Nequidquam fremit adstrictos divellere nexus.
Talia Diva tuens Clypeum suspendit ab aede,
Gestit ovans, interque manus dum versat eburnas:

Egregium clypei decus haud violabile telis;
Salve, ait, o robur Cypridi fatale venustae,
O foelix labor, et molimen nobile dextrae,
Artis opus mirae, palmaeque insigne ferendae.
Ipse tibi vires amor addidit; ipse triumphis
Gonzagae dudum te destinat; Effer in usus
Indomitos quidquid nostrae solertia dextrae,
Quidquid opum omnipotens pleno tibi munere fudit.
Dixit et amplexu clypeum fovit, inde repente
Sublatum laeva tenet, ac se librat ab alto.
Sidereas emensa vias, ac praepete lapsu
Astra per et nubes, liquentemque aera callem
Ima petit, quaque illa volat, Zephiritides aurae
Dulcius aspirant flabris, de vertice odorem
Mittit: Nectareus diffunditur aethere nimbus,
Roscida et ambrosiis liquuntur nubila rivis.
Jamque ad Gonzagae terris appulsa Penates
Diva pedem tulerat, mediam quum protinus omnes
Affusae cinxere Deae; superumque cohortes
Agmine Sydereo, et circum venerantur euntem.
Illa micans clypeo cunctis spectabilis ardet.
Qualis Threicii, seu Thermodoontis ad oras,
Seu Tanais, lambunt Scythicas qua flumina ripas,
Panthesilea micat, pictis cum fulminat hastis,
Cumque manu crispat lunatae insignia pelthae
Bellatrix, sociaeque ducem ter mille frequentes
Hinc atque hinc comitantur Amazones: Illa phalanges
Femineas agit, atque adversos pergit in hostes;
Virgineis sic mixta choris clypeata superbit
Pulchrior Astraea, et socias supereminet omnes.

Jam propius pueri se se ad cunabula sistit,
Insuetisque oculos radiis ferit, ille ubi Divam
Cominus aspexit, fulgentiaque arma revisit,
Virginis armatae clypeo sua lumina fixit,
Lactentesque manus, et brachia mollia tendens,
Mirum! Se Se avidis impellit in arma lacertis
Amplectique parat Coeli mirabile donum,
Et sua festivo testatur gaudia risu.
Cui Dea, Salve, inquit felicibus orte sub astris,
Et supera plaudente domo, dilecte Tonanti
O nimium puer, et magnis desponse triumphis.
Addita coelitibus nova lux, et gloria nobis,
Inclite virginei dux agminis, accipe nostrae
Militiae auspicium, clarumque insigne faventis
Numinis argumentum ingens, et pignus amantis
Astreae. Tu delicium, et mihi magna voluptas
Semper eris, nostro semper celebrabere cultu.
Jam tibi florentem aeterna inter lilia sedem
Virginitas Coelo ponit, jam laurea fronti
Mox nectenda tuae, servati insigne pudoris,
Surgit odoratis supera inter culta viretis.
Claude fores cordis, cunctosque exclude hymeneos:
Claude seris, primosque infans in limine vitae
Concipe coelestes formae melioris amores.
Nec caecae illecebris unquam capiere iuventae.
Illa labore levi tentabit vulnere pectus
Effodere innocuum, atque imis inferre medullis
Virus Acidalium, frustra malesuada lacesset
Insidiosa pharetratos in praelia fratres.
En decus armorum superis tibi venit ab astris,

Arte laboratum aetheria, cui nulla periclis,
Nulla subest anceps incertis alea pugnis,
Sed Coelo ex ipso fert robur, et omina palmae
Hoc tua jam clypeo tepe pectora, fracta retusis
Cuspis acuminibus cadet, et ruere irrita cernes
Tela Cupidineis nequidquam educta pharetris.
Nec Te unquam pupugisse suis Cytherea sagittis
Jactabit, sed opus totum amisisse pudebit.
Aude animis, generose puer, proh gaudia coelo
Quanta dabis! Tibi quae innumeris stat gloria
(Saeclis!
Annue Tu votis, o Arbiter aetheris alti,
Terrarumque, marisque potens, et vota secundes.
Haec memorans rutilo clypei gestamine laetum
Armat Gonzagam, et tenerae tutamen habendum
Aptat ovans dextrae duplici quod fibula morsu
Aurea subnectit, nodisque tenacibus arctat,
Ulla dies unquam ne solvere possit in annos.
Nec mora, Sidereo donatus munere sensit
Vim puer insuetam divinitus ire per artus,
Et gracilem clypei firmari ad pondera dextram.
Ter circum excussis plauserunt protinus alis
Agmina Coelicolum, ter visi errare per auras
Virgineique chori, et fulgentes igne cohortes
Nectentes cursusque leves, agilesque recursus.
Una suos genitrix natos Cypris inter amores
Dum procul haec spectat pectus perculsa dolore
Irriguas abit in lacrimas, dejectaque vultu
Singultantem animum Ciet his in verba querelis:
Infoelix Cytherea! quid oh tua damna ne cernis?

Quid poterit deinceps nostrum lenire dolorem?
Heu quid tantum elata Tuo Te numine jactas?
Quo tibi fastus abit? Cecidit quo gloria? Ubi nunc
Pulsus honos? Tua quo Te vana superbia tollit?
Si puer imperio excusso tua numina spernit?
Ecquisnam terris Cythereae numen adoret,
Aut supplex aris divinum imponet honorem?
Scilicet en partis insignia clara triumphis,
Nec puerum irrisam Te vincere posse pudebit?
Conde Caput Stygiis, jam Cypria conde sub umbris,
Et procul aspectum rutilae fuge lucis et aurae.
Et vos Idalii, Sanguis meus, incliti Amores,
Vos genus invisum, et pueri ludibria parvi
Largius undantem ex oculis evolvite fletum,
Meque procelloso lacrimarum mergite ponto.
Cingite ferali frontem roseam cyparisso
Maternam, formosa gerant ne tempora myrtum:
Exuite argento rutilos, ostroque cothurnos
Longaque membra tegat nigranti cyclas amictu:
Ne coma compositos pulchre crispetur in orbes
Nexilis, assirioque madens ne fragret amomo,
Aut Zephiros lasciva fluens per colla lacessat.
Quale decet victos roseum succidite crinem,
Heu pudor! abscissisque cadat detonsa capillis
Cesaries, Cypridis decus olim insigne juventae.
Aureus ex humeris nec jam sonet arcus eburnis,
Arma manu diffracta ruant, nervosque, plagasque
Rumpite, Acidaliasque faces extinguite fletu,
Spiculaque, et pictas pedibus calcate pharetras.
Quin etiam spretos dominae deploret honores